ARTICULUS X.

An Negligens incurrat aliquam pœnam.

QUouſque negligens ſibi ſoli præjudicat, & nocet, ſibi pœna eſt illud præjuditium, & damnum quod ſubit; ſed quia quandoque contingere poteſt, quod etiam per ſuam negligentiam, aliis noceat, (ut dictum eſt), & præjudicet, ideo inſtituo præſentem titulum, an incurrat aliquam pœnam?

De pœna reficiendi damna concernentia intereſſe proximi præjudicati, agam in articulo de obligatione reſtituendi, quæ oritur ex negligentia, & poteſt appellari, pœna civilis; nunc verò quæro de pœna in actione, & Juditio Criminali infligenda, & quia de hac plura tangam de negligentia in particulari, cum ad ſingulares hominum ſtatus deſcendam, tamen hic, quandam generalem regulam apponam.

1 Et eſt, quod ubi in negligentia poteſt conſiderari aliqua ratio delicti, tunc etiam poteſt aliqua actione Criminali puniri, & ſic pœnam ſubire.

Caſus eſt *in l. ad Comentarienſem C. de cuſtodia reorum*, ubi ſi Reus carceratus ob negligentiam Cuſtodis, fugiat è carcere, quia talis negligentia habet rationem delicti in eo, puniri debet, eadem pœna, qua puniendus erat carceratus, qui fugam arripuit, ex latè traditis per *Farinac. pract. Crim. q.* 31. *num.* 125. & dixerat *nu.* 7. 8. 9. 10., *& ſeqq.*, ubi quod hoc intelligitur, ſi negligentia ſit magna, alias ſi levis, aut leviſſima, licet in cuſtode carcerum, ex ſpeciali ratione, pœna aliqua puniatur arbitraria, (quod & latius tangam agendo de negligentia Cuſtodū), quando autem negligentia Comentarienſis, ſeu cuſtodis carcerum, involvat rationem delicti, conſulendus eſt, *Farinac. dicta quæſt.* 31. *per totum*; ubi *num.* 149. *ponit regulam*; quod ſi non probetur caſus fortuitus, qui omnem tollat negligentiam, ſemper negligentia, involvit rationem delicti, vel ut *num.* 159., ſi non intervenerit aliqua præparatio proditoria, quæ à cuſtode non potuit prævideri, & præcaveri; ut ſi alter concuſtos proditione facta, cum Reo fugit; prout contigit anno 1694. hic Ferrariæ, dum duo Juvenes eſſent, ex gravi cauſa carcerati, alter promiſſa pecunia, alter promiſſione facta, de contrahendo matrimonio, mulierculam famulam Cuſtodis, ſubornarunt, ut noctù, ſublatis clavibus de ſub cervicali Cuſtodis, portam carceris aperiret, prout fecit, & cum eis fugit; eo caſu, tamquam fortuitò, qui non poterat prævideri, nullam paſſus eſt pœnam, Comentarienſis, nec officio privatus, & dictum fuit, non intrare conſiderationem, *Farinac. dicta quæſt.* 31. *n.* 162., quod Cuſtos ſit in culpa, quatenus elegit ſibi famulam infidelem, quia alias fuerat fidelis; deinde cum recondiſſet claves ſub ſuo cervicali, apparet, quod diligenter eas cuſtodivit, ut nullatenus potuerit ſibi imputari; fecit enim quod ſolitum erat facere, & quod omnis prudens Judex approbaſſet, tunc enim ceſſat omnis negligentia, ad allegata per idem *Farinac. num.* 126., *&* 164.

ARTICULUS XI.

An ex propria Negligentia quis poſſit commodum reportare.

1 REgula eſt, quod nemo debet ex propria negligentia commodum reportare, *l. itaque fullo ff. de furtis*; *Menoch. de arbit. Jud. c.* 194. *num.* 24., quia cum hæc ſit delictum, vel culpa, ſaltem in omittendo, ſtat regula, quod ex proprio delicto, & culpa, nemo debet commodum ſentire *c. intelleximus de juditiis*, ibique D.D. ubi *Barboſa num.* 19. *ad finem*, *Hypolit. Rimitald. conſ.* 301. *num.* 17.

2 Nam ſicuti diligentia ſua, nemini debet eſſe damnoſa *l. fin. C. de aluvionibus*, *& palud.*, immò debet eſſe fructuoſa, ne induſtria pœnas deſidiæ ſolvat, ait *Juſtinian. in l. ſupervacuam §. nobis etenim C. depoſit.*, *l. ſi non expediret §. ſi pupillus ff. de rebus auct. Jud. poſſid.*, ita negligentia non debet eſſe proficua, ut ſatis elegans eſt *tex. in l.* 2. *ff. de cond. in publ. horreis lib.* 10., ut notat *Lucas de Pæna in l. omne territorium num.* 2. *C. de cenſibus*, *& cenſitoribus lib.* 11.

3 Ita quod excommunicatus reus neceſſarius conventus, poſſit ſe defendere; tamen ſi contemnat, & negligat abſolvi, tunc neq; auditur, ſe defendens. *Marſilius*, *& Rebuf. allegati per Barboſam ſupra num.* 19., *Ricciul. de Jur. pers extra Eccl. gremium l.* 4. *c.* 32. *nu.* 6., ubi quod excommunicatus ſi poteſt petere abſolutionem, & negligat, nec petat, non auditur, etiam in iis in quibus alias audiretur, & idem in alio caſu *num.* 12. *ad fin. n.* 13., *ubi num.* 14. neque auditur excommunicatus moroſus, in petenda abſolutione, dum poſſit, etiam ſi famis neceſſitate laboret.

4 Non obumbrat regulam noſtram, diſtinctio, quam plures allegant; ſi culpa ſit ordinata ad tale commodum reportandum, ſecus ſi non ſit ad id ordinata, quia tunc culpa non eſt conſiderabilis *c. quia diverſitatem*, ubi glos *in V. ſuſpenſus de conceſſ. præb.*, *l. nemo §. illud ff. pro ſocio*, *Bartol. in l.* 2. *§. final. ff. ſi quis caut. Decius in c. quæ in Eccleſiarum de conſtit. num.* 137. 138., *Surd. de allim. tit.* 4. *q.* 5. *num.* 16. *Odd. de reſtit. in integ. q.* 11. *art.* 10. *num.* 57., *Menoch. de arbit. Jud. lib.* 2. *c.* 182. *num.* 39. 41., *& ſeqq.*, & in quolibet impedimento juris, idem habere locum, in quo tolendo nulla fuit culpa, & negligentia. *Roch. de curte de Jur. patron. V. competens num.* 23., *Covar. in Clem. ſi furioſus p.* 3. *in princ. num.* 4., *& poſt Perez Barboſa ad d. c. quia diverſitatem num.* 9. *in fin.*, *& num.* 10. *poſt Anchar. Butr. Abbatem*, & alios allegatos, *Menoch. de arbit. Jud. c.* 182. *num.* 59. *Bartol. in l.* 2. *§. ult. ff. ſi quis caution.*, *Felin. in c. cum inter num.* 20. *de except.*

5 Solvit enim *Menoch. ſupra nu.* 61., quod etiam culpa, ac negligentia, non ordinata ad caſum, commodum affere nequit, ubi commodum ſtaret in aquirendo; ſecus ſi ſtet in non perdendo, quia tunc neque commodum, neque incommodum reportat, qui non perdit, & ex ſola negligentia nemo perdit Jus ſuum, niſi hoc expreſsè habeatur in Jure. *Bartol. in l. ſolent §. fin. num.* 7. *ff. de off. proconſ.*, *Seraphin. deciſ.* 220. *num.* 2.

6 Facit pariter illud Auguſt. relatum *in c. non omnis* 5. *q.* 5., ubi *utilius eſurienti panis tollitur*, *ſi de cibo ſecurus juſtitiam negligat*, *non enim meretur paſci*, *qui negligit operari*, *dum poſſit*, ita pariter Auguſt. relatus *in c. ne amiſſo.* 23. *q.* 4. *ne ſis pauperi in mala cauſa miſericors*, *quia tanto nequiorem reddit.*

Regula tamen ſupra poſita ſuas patitur fallantias.

7 Fallit primò, in Negligentia rerum mundanarum propter Deum, & virtutis lucrum, qui enim temporalia ſpernit, & negligit, ut aquirat æterna, laudatur, nam ex tali negligentia, commodum ſpiritualium bonorum reportat, ut notavit *Jo: Chriſoſtom. hom.* 56. *in Math. cæteris omnibus neglectis*, *omnem curam*, *omne ſtudium*, *omnem operam tuam ad ipſam*, *ideſt animam conferas*; *Proverb. c* 12. *verſ.* 26., *Qui negligit damnum propter amicum juſtus eſt*; *D. Bonavent. in* 3. *cap. Sapientiæ*. Ubi quod Martires pro Chriſto neglexerunt omnia temporalia; ſicuti laudabilis eſt negligentia, quæ eſt omiſſio eiris, quod malè, injuſtè, vel inhoneſtè præcipitur. *Vide Averſam in p.* 2. *q.* 6. *ſec.* 6. *verſic.*, *Rurſus ad moralem æſtimationem.*

8 Fallit ſecundò, in Paupere, qui etiam ignavia ſua, & negligentia effectus eſt Pauper; hic enim adhuc ſentit commodum, quia gaudet privilegio paupertatis. *Leoncil. de privileg. Paup. privil.* 335. *num.* 14.

9 Fallit tertiò, quo ad commodum ceſſionis bonorum; nam licet decoctor doloſus non admittatur ad ceſſionis beneficium. *Math. Brun. in tract. de ceſſione bonorum q.* 3. *parte* 9. *princ.*, quia dignum eſt, quod malè meriti ægeſtate laborent, *l. bona fides ff. depoſiti*, *Jo: Bapt: Coſta de remed. ſubſ. remed.* 27. *num.* 12. *V. quarto*, *requiritur* ita ut neque Clericus debitor doloſus, gaudeat beneficio *c. Odoardus de ſolut.*, *Gratian. diſcept. forenſ. c.* 222. *num.* 49., *Farinac. pract. Criminal. q.* 27. *num.* 71. *V. ſublimita* 3. *Barboſa ad d. c. Odoardus num.* 10., *Leoncil. de privil. paup. p.* 2. *privil.* 49. *num.* 7. 8., *& privil.* 53. *num.* 5., *Bellet. diſquiſ. Cleric. tit. de Clerico debitore §.* 2. *nu.* 4. 5., attamen decoctor culpoſus ex negligentia, adhuc admittitur ad ceſſionem bonorum; *l. verum §.*

tempus ff. pro ſocio, l. fin. in fine ff. quæ in fraudem creditorum, *Math. Brun. de ceſſ. bonor. q. 15. parte* 1. *princ. num.* 5. *in fine*, ita quando doloſus excluditur, intelligitur de dolo vero in committendo, non autem præſumpto, & in omittendo. *Jo: Bapt. Coſta d. remed.* 27. *num.* 13. 14.

10 Fallit quartò. Ubi diligentia nihil proficeret, quia in eo caſu, negligentia non debet nocere, ut aliquod incommodum reportet, ſed potius prodeſſe, ut commodum ſentiat, *argum. ex l. fin. §. ſi ea conditione ff. ad l. Rhodian. de jactu.*, *Capella Toloſ. q.* 257. *nu.* 6. *Bellet. diſquiſ. cleric. de diſciplin. Cleric. §.* 20. *num.* 15.

11 Fallit quintò, quia contumax ex mera negligentia, & contumatia facta, cum negligens dicatur, qui ſæpè conventus, ſui præſentiam non facit *l. de unoquoque §. qui apud ff. de re Jud.*, *non mulctatur Marant. in ſpeculo p.* 6. *de contumatia num.* 9., *Addent ad Deciſ.* 2., *alias* 49. *de dolo, & contumatia in novis littera A.*, *D.D. in l.* 1. *§. fin. ff. ſi quis juſdicenti non obtemper.*

12 Fallit ſextò, quia ſi quis condemnetur in contumatia ficta, ex mera negligentia, pro nonapparitione, ex quò alias debuiſſet incurrere infamiam, non comparendo, & ſic negligens evitat infamiam, *Seraph. Deciſ.* 376. *num.* 9., *& ſeqq.*, *Bartol. in l. ictus fuſtium col. fin. ff. de iis, qui not. infam.*, *Rota deciſ.* 449. *num.* 7. *p.* 1. *recent.*, *Sperell. deciſ.* 116. *n.* 59.

13 Fallit ſeptimò, ſi hæres negligat implere conditiones turpes præceptas à teſtatore, non amittit, immò adhuc aquirit hæreditatem, licet teſtator impoſuiſſet pœnam amiſſionis, in caſu non implementi, ut eſt *tex. in l. unica, ibique Salicet C. de his, quæ pœnæ nomine.*

14 Fallit octavò, quia minori moroſo, in non faciendo, & ſic negligendo, competit beneficium reſtitutionis in integrum. *Rota coram Royas* 1. *Julii* 1648. *in Ferrarien. de Pendaſiis ad fin. Odd. de reſtit. in integ. p.* 2. *q.* 82. *Card. in Clem.* 1. *num.* 15. *de in integ. reſt. Gratian. diſcep. for. c.* 656. *num.* 3.

15 Fallit nonò, in excommunicatione incurrenda, quando ad eam incurrendam, requiritur præſumptio, vel temeritas, ſi enim ex mera negligentia non facit id, ex cujus omiſſione, cum præſumptione impoſita ſit excommunicatio, cum merè negligens non dicatur præſumens, nec temerarius, ideò excommunicationem, non incurrit; ita in caſu, in quo, quis teneatur ex offitio impedire delictum, & ex mera negligentia, non impediat, ut in violatione Clauſuræ Monialium, non incurrit, ut poſt Suarez, notat *Naldus in ſumma V. Monialis ſub num.* 6., quia præſumptio importat dolum, *Barboſa de diction. dict.* 278. *num.* 2., quem dolum non importat, mera negligentia.

16 Fallit decimò, in Tutore, qui negligat ſervare præcepta teſtatoris, prohibentis diſtrahere res hæreditatis periculo ſubjectas, etiam adhuc neglecto præcepto, ſi diſtrahat eas, ne pereant, prudenter facit, & laudandus eſt *l. quidam decedens §. uſque ad eo ff. de adminiſtr., & periculo tut. & curat.*

17 Fallit undecimò, in debitore negligente ſolvere debitum, qui ex propria negligentia, commodum reportat in caſu Statuti Ferrariæ *l.* 2. *rub.* 128. *ubi Pigant. num.* 23., quod illud Statutum, prodeſt debitori moroſo ſolvere ultra annos 15, quatenus per curſum tanti temporis præſumitur ſolviſſe, ſicquè debitori defertur juramentum, & jurat ſe ſolviſſe debitum, quo jurato, abſolvitur, & liberatur; nota tamen, quod non poteſt, nec debet contra conſcientiam jurare, ſed caſus poterit evenire, data erroneitate conſcientiæ, dum oblitus, ex tanto temporis curſu, putet ſe ſolviſſe, & juret; quod contingit in parato ſolvere, ſed ex aliquo inopinato emergente non ſolvit; poſt temporis autem lapsũ exiſtimet, ſe tunc ſolviſſe, vel receptionis ſchedula apud ſe inventa, quæ ſub ſpe futuræ enumerationis, eidem fuerat relaxata, atque in ea, ſolutionis antiquæ præſumptio fundatur; ita & hæredes debitoris, putantes veroſſimiliter debitorem ſolviſſe, ſi jurent ſe credere, debitum fuiſſe ſolutum, abſolvuntur ab impetitis per Creditorem; rationem in ſimili legis hiſpanæ diſpoſitione affert *Gutierez in repetitione l. Nemo poteſt ff. de leg.* 1. *à num.* 480., *& ſeqq.*, ſcilicet hoc rationabiliter fuiſſe diſpoſitum, tum in odium negligentiæ Creditoris, tum ne debitum iterum, atque iterum exigatur.

Requiri tamen bonam fidem, tam in debitore, quam in hærede notat, *idem Gutierez ſupra num.* 481. alias ſtatutum eſſet genitivum peccati, & ſic non eſſet ſervandum.

ARTICULUS XII.

An Negligentia præſumatur, vel ſit probanda.

1 REgula eſt, quod negligentia non præſumitur, ſed debet probari ab eo, qui in ea ſe fundat, *l.* 3. *§. ſi ad diem ff. de re millit.*, *Aflict. deciſ.* 13. *nu.* 28., *Seraph. deciſ.* 455. *num.* 3., *& deciſ.* 397. *num.* 4. *Rota deciſ.* 111. *num.* 9. *p.* 17. *recent.*, *Riminald. Junior conſ.* 165. *num.* 44., *Ludov. deciſ.* 278. *nu.* 10. 14., maximè in re ſua, in qua nemo præſumitur negligens; *Burat. deciſ.* 484. *num.* 1. *Maſcard. de prob. concl.* 1193., *& concl.* 1218. *num.* 2., *& concl.* 1327. *num.* 3., *Cravet. conſ.* 240. *num.* 3. *vol.* 2., *Aflit. deciſ.* 13. *num.* 18., & in dubio non præſumitur negligentia, ſed diligentia *c. niſi de præben.*, *Cravet. conſ.* 77. *n.* 12., *& conſ.* 249. *num.* 3., *Roman conſ.* 481. *n.* 9., *Boer. deciſ.* 216. *nu.* 6., *Farinac pract. crim. q.* 31. *num.* 18., *Conciol. alleg.* 79. *num.* 3., *Menoch. de præſump. lib.* 6. *præſump.* 77. *num.* 3., *Gratian. diſcep. for. c.* 221. *num.* 13., *Barboſa de poteſtate Epi. alleg.* 58. *num.* 18. Et in dubio ſemper diligentia præſumitur: *Bartol. in l. ſi cum videret §. fin. ff. de pignor.*, *Surd. conſ.* 12. *Præſens quæſtio num.* 18., *& deciſ.* 221. *nu.* 2., *Amat. deciſ. Rotæ Ferrariæ deciſ.* 7. *nu.* 8., Ratio eſt, quia cum negligentia, vel ſit culpa, vel culpam involvat, (ut ſupradictum eſt;) culpa verò non præſumitur: *gloſ., & DD. in l. quoties §. qui dolo, ff. de prob.*, *Farinac. pract. crim. q.* 89. *num.* 10., ubi quod ad tollendam culpam, quiſque præſumitur: feciſſe in rebus alienis diligentiam, quam facit in ſuis; *Menoch. de præſump. lib.* 5. *præſump.* 3. *num.* 123., *Maſcard. de prob. conſ.* 468. *num.* 4., ſequitur, quod neque negligentia præſumatur: *Rota Genuæ deciſ.* 76. *num.* 6. 7. 8. 9.

2 Amplia primò, ut etiam, qui hodie eſt negligens, non præſumitur retro fuiſſe negligens, juxta *Theoricam Bartoli in l. ab hoſtibus, §. ſed hoc ſimpliciter in* 3. *col. in fine ff. ex quibus cauſis major: &c.*

3 Amplia ſecundò, quod ſi de negligentia, etiam conſtaret, tamen ea non præſumitur doloſa, quia & culpa, & dolus non præſumuntur: *Ludoviſ. deciſ.* 169.

4 Ex quibus ſequitur, quod in Medico non præſumitur negligentia, in curando vulnerato, ſi ex eo vulnere moriatur, etiam ſi non erat certum, utrum vulnus eſſet mortale, quia potius præſumitur obiiſſe, ex ſua incuria, vel alia cauſa, quam negligentia Medici, *l. quoties §. qui dolo ff. de probat.*, *Farinac. pract. crim. q.* 127. *num.* 90., *&* 91., *Maſcard. concl.* 1093. *num.* 4.

5 Ita pariter neque in Marito, præſumitur negligentia, in adhibendo medicum in infirmitate Uxoris, ſi ea moriatur, ſed ab allegante debet probari *Farinac. q.* 120. *num.* 95. *& ſeqq.*

6 Contrahentes pariter, non præſumuntur negligentes in ſuo negotio, *c. niſi eſſent in principio de præbend.*, *c. ad audientiam de præſcript.*, *Rota coram Litta in Romana domus*, quæ eſt *deciſ.* 26. *ſub num.* 7. *in Poſth. Farinac. p.* 2.

7 Fallit tamen hæc regula in pluribus caſibus, in quibus negligentia præſumitur, & quidem primò, ſi Uxor obiit, & maritus in illius infirmitate medicum non adhibuit, præſumitur propter Mariti negligentiam obiiſſe, *Farinac. q.* 120. *num.* 74., *& ſeqq.*, negligentia verò, in hoc caſu præſumitur, ſi erat in loco, ubi eſſent Medici, qui potuerint à Marito adhiberi, *Farinac. ſupra num.* 96. 97., licet in hoc caſu, potius conſtet de negligentia, quam præſumatur.

8 Fallit ſecundò, ſi vulneratus erat vulnere certo non lethali, nec de alia cauſa mortis conſtat, præſumitur ex ſuo malo regimine, & negligentia obiiſſe. *Farinac. q.* 127. *num.* 16.

9 Fallit tertiò, in eo, qui ad cuſtodiam rei ex contractu tenetur, ſi aliquid mali contingat, ut putà furto ſubripiatur, vel corrumpatur, id culpæ cuſtodi imputatur, & negligentia præſumitur, *arg. in l. ſi Colonus, in l. furtum ff. arborum fuit cæſar: Bald. conſ.* 190. *lib.* 2., *Alex. conſ.* 117. *lib.* 5., *Menoch. conſ.* 130. *num.* 4. *lib.* 1., *Carot. de locato p.* 4. *q.* 7. *n.* 12., *Laderch. conſ.* 154., *Amat. deciſ. Ferrariæ* 42. *num.* 2., *Leoncil. deciſ. Ferrariæ* 77. *num.* 19.; *Conciol. alleg. civil.* 1. *num.* 39.

10 Fallit quartò, in eo, qui ſemel fuit negligens, quia & in præſenti, præſumitur negligens, *tex. clarus in c. ſcribam de præſump.*, &